

fallam, ac commentitiam expositionem, ac interpretationem non proferunt; præcipue cum illa Scriptura esset exarata literis Chaldaicis, ut vult Benedictus Pereira lib. 5. in Daniel, §. Sed mirum. Vel si erat conscripta characteribus Hebraicis, ut asserit Lytanus, illi erant multum peritis illius linguæ, ob familiaritatem. Cur ergo aliquam interpretationem non adhibent, sed expressè profitentur se non posse aperire, nec explanare Scripturam: Pereira citatus fatetur, miraculum fuisse, quod Arioli Scripturam nec legere, nec interpretari valuerint. Et revera magnum miraculum fuit. Nam quod viri sapientes, & literati, instigante proprio commodo, & lucro, aliquam non proferant explanationem, magnum extitit miraculum divinæ manus, ibi intervenientis, ac mirabilia operantis: aliter enim ipsi, propria cupiditate commoti, Scripturam in mille sensus, & phantasticas cogitationes extorquerent, & dilacerarent. Vide cap. 1. n. 4. 5.

QUESTIO XV.

Quando Christus dicat, se non venisse, ut legem solveret, sed ut adimpleret?

169. DE sensu horum verborum quarimus: quia Christus re vera solvit, & abrogavit legem veterem. Lex, & propheta usque ad Joannem, Matth. 11. num. 13. Paulus, ad Galat. 5. num. 19. ait: Lex posita est, donec veniret semen, scilicet Christus. Roman. 10. num. 4. Finis legis Christus. Et alia innumera loca, quæ hanc veritatem demonstrant. Quomodo ergo ait Christus, quod non venit solvere legem, sed adimplere?

170. Respondeo primò, quod Christus verissimè asseruit, se non venisse ad solvendam legem, sed ad implendam. Quia quæ in lege promissa erant ipse exhibuit: quæ cæremoniis, & figuris erant adumbrata, ipse in se, ac suo corpore, suisque actionibus, atque operationibus, & vitæ, ac passionis cursu totum adimplevit, & representavit: quæ in Prophetis erant prænuntiata, totum peregit, & præstitit. Et ita statim infert sequenti versu: Amen dico vobis, donec transeat cælum, & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege. Et ita multoties Evangelistæ, gesta Christi scribentes dicunt, Ut impleatur, quod dictum est per Prophetam. Matth. 13. num. 35. & 26. num. 54. & 29. n. 9. 35. & 48. Marc. 4. n. 49. Luc. 24. n. 44. Ita Tertullianus lib. de patientia. D. Irenæus lib. 4. cap. 24. D. Hilarius can. 2. & 5. D. Athanasius serm. contra omnes hæreses. D. Augustinus in questionibus novi Testamenti quest. 69. D. Cyrillus lib. de adoratione, & spiritu. D. Ididorus Pelusiota lib. 1. epistol. 371. Sixtus Papa lib. de castitate. Unde ut rectè observat Abulensis, dum Christus de se asseruit, venisse ad implendam legem, se ipsum verum esse Messiam declaravit, quia nullus alius poterat totam legem adimplere.

171. Secundò. Quia, cum esset supremus Dominus, & superior lege, tamen voluit legem servare, & præstare ea, quæ ipsa præcipiebat, & ideo cir-

cuncifus est, in templo præsentatus, ac ad solemnitates Paschales ad Jerusalem ascendebat. Tertiò, Legem implevit Christus, quia gratiam, per quam impleri posset, nobis cumulatissime attulit. Unde ait Joannes 1. n. 17. Lex per Moysen data est, gratia autem per Jesum Christum facta est. Ita docent D. Augustinus lib. 17. contra Faustum cap. 5. & lib. 19. cap. 7. Chrysostomus homil. 16.

Quartò. D. Thomas latè explicat, Quia primò Christus adimplevit legem dulcedine charitatis, Rom. 13. n. 10. Plenitudo legis est dilectio. Et ita ait Christus suis discipulis Joa. 15. n. 12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Secundo, Cæremonia, figuratum velamen detegendo. Matth. 27. num. 51. Velum templi scissum est. Tertiò, Prophetias in se completas ostendendo. Quartò, Promissiones confirmando. Ad Galat. 3. numero 16. Abrahæ dicta sunt promissiones. Quintò, Judicialia per misericordiam temperando. Joan. 8. de Adultera. Nec ego te condemnabo. Sextò Confilia addendo. Septimò, Promissiones omnes ei factas de Spiritu sancti missione, & Filij Incarnatione persolvendo.

Quintò. Christus non dissolvit legem, sed adimplevit. Quia bene interpretando perficit, & ad excellentiora deduxit, ut patet infra: Audistis, quia dictum est amicus, &c. Pro penitis, promissisque temporariis, æterna substituit. Deinde Intentionem, ac finem legis excellentissimè implevit. Nam lex intendebat, hominem facere justum, in quo ipsa valde infirma inveniebatur; veniens autem Christus fidem, ac Sacramenta, certissimum, ac abundantissimum justificationis modum dedit. Ita D. Gregorius Nyssenus adversus Judæ. Theophylactus, Euthymus, Rupertus lib. 6. de operibus Trinitatis, cap. 27.

Ad ea, quæ dicta sunt in principio. Christus abrogavit legem veterem, non solvendo, sed implendo; non violando; sed perficendo. Sicut pictor, ait Theophylactus, non corrumpit lineamenta prima, sed cum ultimam manum apponit, colores adhibet, primam, & inchoatam figuram magis illustrat, adimplet, & absolvit. Lex autem dicitur usque ad Joannem, qui tunc ærotare, & infirmari cæpit, ut suo loco latius explicabo.

Matth. 5. n. 18. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum, & terra, iota unum, ac unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.

VERSIONES.

- Syriacus. Amen enim dico vobis ego, donec transferunt cælum, & terra.
Vatablus. Donec præterierit cælum, & terra, iota unum.
S. Pacianus in Cælum, & terra transeat ad bunt, iota unum, aut Penitentiam. apex non poterunt transire, priusquam omnia

Tertull. Irenæus, Athanas. August. Cyrill. Ididorus, Sixtus, March. 13. 26. & 27. Luc. 27. Abulens.

QUESTIO XXVI.

Quare Dominus per Iotam, & apicem significet, quod ne minimum mandatum præteribit à lege?

UM Christus ait: Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Commentatorum est, quod potius cælum, & terra tranfibunt, quàm quoddam minimum mandatum non adimpleatur, ut dixi in expolitione. Tamen, ut rectè observat D. Paschasius lib. 3. in Matth. Evangelista scribens Hebræo sermone, juxta proprietatem linguæ, in qua scribebat, non posuit Ioth, sed ad linguam Græcam declinans dicit Iotam. Ergo aliquod magnum mysterium in hoc significare voluit.

Respondet primò D. Paschasius. Iota enim apud Græcos, sicut decima est in ordine Alphabeti, sic decem significat in eorum numero. Unde liquido decem mandatorum agenda vitæ summa colligitur. Et idem habet Rabanus, quod significat Decalogum. Ac proinde, ut etiam explicat D. Thomas. Iota unum, id est, nullum ex decem mandatis, nec unus apex, id est, nec minimum significatum præteribit à lege. Quia omnia, sive magna, sive parva, per me adimplenda sunt. Secundò idem D. Paschasius, notat, quod Iota verbum Græcum significat etiam desolationem; ac proinde dicit minimum, & dicit desolationem. Et tunc ex verbis Christi colligitur hic sensus: In lege nec unum Iota præteribit, nam qui legem violat & non adimplet etiam in minimo, totam legem contemnit, & ponit eam in desolationem; qui enim à minimis incipit, ad magna pervenit, & in horrenda flagitia præcipitatur. Unde eleganter ait D. Chrysostomus homil. 83. Sic in Juda maximum proditoris malum exortum est. Nisi enim putasset, parum esse pecuniam inopum surripere, in tantam proterviam non devenisset.

Tertiò. Chromantius, S. Anastasius Synaita, Theophanes Orat. in Exaltatione S. Crucis, Theophylactus. Qui omnes per Iotam, & apicem intelligunt hic sanctam Crucem. Nam, ait Theophylactus, Crucis Iota est rectum lignum, & apex, transversum, quo sensu dicit, quod ea, quæ de Cruce dicta sunt, implebuntur. De sua Cruce facit Salvator mentionem, & docet, ea, quæ de Cruce scripta sunt, ut ait Theophanes, firmiora esse, quàm cælum, & terra: & de his, quæ ad crucem spectant, loquitur Dominus, quia omnia, quæ continebantur in lege, mysteriis Crucis recapitulantur; & omnia mirabilia, ac dona Dei, quibus nos vivificat, à Cruce descendunt, ac manant. Unde ait D. Damascenus lib. 4. de fide cap. 12. Crux Christi clavis est Paradisi, salus anime, & corporis, honorum omnium datrix.

Quartò. D. Hieronymus ait hic: Ex figura litteræ ostenditur, quod etiam, quæ minima putantur in lege, Sacramentis spiritualibus plena sint, & Scripturæ omnia recapitulatur in Evangelio. Omnia quæ sunt Scripturæ, maximè veneranda, & alta mysteria ibi indaganda. Unde ait noſter D. Cyrillus lib. 2. in Joan. Nihil in parvum in sacris Scripturis

omnia compleantur. S. Chromantius. Iota unum, vel unus in c. 5. Matth. apex à lege non cadent, donec omnia fiant. Theophylactus. Aut apex unus non præteribit ex lege, quoad omnia facta fuerint.

EXPOSITIO.

ENSUS hujus sententiæ est: Dixerat Dominus superiori versu, se non venisse ad solvendam legem, sed implendam, quod ita explicat in hoc textu: Amen quippe dico vobis, &c. In veritate vobis dico, quod facilius erit, ac magis factibile, cælum & terram totaliter perire, ac desinere esse, quàm aliquod minimum promissum positum in lege; vel vaticinium datum, per me omnino non impleri, & satisfieri. Ex quo considera, quomodo quispiam nostrum audeat divinam transgredi legem, atque mandata, quæ Christus sic violare abhorret, ut dicat, cælum, & terram potius transeunda, quàm minimum verbum per ipsum non impleri. Singula explicemus.

Amen vox est Hebræa, & significat verè, fideliter: & nec Græcus, nec Latinus, ut norat Hugo, ausus est eam interpretari, ob magnam reverentiam, ne vilesceret nudata, Donec transeat cælum, & terra. Est hypothetica, & conditionalis, sive comparativa propositio. Et facit hunc sensum. Citius, ac facilius cælum, & terra tranfibunt. Simili phrasi utitur Regius Vates Psal. 71. num. 7. Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna. Hoc est, Christi iustitia, & pax non deficient, sed citius, quàm id fiat, Luna orbabitur luce sua. Unde rectè ait D. Pacianus in sua Paranesi. Verbum Dei fortius, quàm Scriptura in ferro, vel ære. Et ait Dominus: Transeat cælum, ita explicat D. Paschasius, Albertus Magnus, S. Thomas. Cælum transeat, non natura, & interit, sed qualitate, ac conditione mutationis, ab hoc statu, quem nunc habet, ad illum novum, & excellentiorem, quem post diem Judicij est habiturum. Tanquam si dicat, ut explanat Barradus, Cornelius à Lapide, necesse est, ante diem Judicij adimpleri omnia, quæ sunt in lege, per me.

Iota unum. Iota est decima littera Græca, & minima ex litteris, quæ uno ductu fit, ut ait D. Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte. Apex est aliqua distinctio ipsius litteræ, id est, ait D. Thomas, quædam virgula in summitate. Et quia tempore Christi, nondum introducta erant puncta Hebræa, & apices, qui nunc sunt in usu, ideo dici potest, quod vocatur apex, vel fastigium ipsius, vel alterius litteræ. Nisi fortè tempore Christi extarent aliqui litterarum apices, qui postea tempore collapsi sunt. Et ita significat Dominus, nec minimum punctum peribit à lege donec omnia compleantur.

175. Legimus sensus.

176. Hugo. Quæ sunt oculis venerantur.

Psal. 71.

Pacianus. Paschas. Alb. Magn. D. Thom.

Barradus. Cornel.

177. August. D. Thom.

Christus cumulatè dat gratiam. Joan. 1. August. Chrysoſt.

172. D. Thom. Rom. 13. Joan. 15.

Matth. 27.

Ad Gal. 3.

Joan. 8. Christus multipliciter legem implevit.

173. Optimus explicandi modus.

Gregor. Theophyl. Euthym. Rupert.

174.

Theophyl. Quomodo lex dicitur usque ad Joannem.

178.

Paschas.

179. Idem.

Raban. D. Thom.

Paschas. Ex transgressione legis, dicitur desolatur.

Chrysoſt.

180. Chromant. Anastasius. Theophan. Theophil.

In Cruce Christi recapitulatur omnia.

Damasc.

181. Hieron.

Cyrill.

182.

ris invenitur, quod magnam nobis utilitatem non pariat.

182. Hieron. Quinto, D. Hieronymus in Regula Monachorum titulo de obedientia, Non leve est, ait, Deum in exiguo contemnere, qui non tantum ad qualitatem peccati respicit, quantum ad personam contempnum: propter quod non solum homini inveniendum est, quale sit, quod jubetur, sed etiam quantum sit ille, qui jubet. Pondera ultima verba. Omnia, quae sunt de lege, & etiam minima, non sunt contemnenda; sed omnia exacte observanda, quia quamvis aliquod mandatum parvum videatur; tamen maxime attendenda est, ac consideranda impetrantis auctoritas: qui enim praeceptum transgreditur, majestatem jubentis contemnit.

183. August. Sexto, D. Augustinus lib. 1. de serm. Domini. Per hoc autem, quod ait, Iota unum, aut unus apex, &c. nihil potest aliud intelligi, quam vehementer expressio perfectionis, quando per litteras singulas demonstrata est, inter quas litteras iota minor est ceteris, quia uno ductu fit; apex etiam ipsius aliqua in summo particula, quibus verbis ostendit, in lege servandis. Perfectio videtur in summo particula, quibus verbis ostendit, in lege servandis. Iota, & apex, quae sunt minima, ponit Dominus in exemplum, quia perfectio observationis legis in eo stat, quod nec syllaba, nec punctum praetermittatur, sed quod omnia, etiam quae minima videntur, plenissime expleantur.

184. Exod. 10. Dum pro Populi egressu ex Aegypto instat Moyses, ait ad Pharaonem. Cuncti greges pergant nobiscum, non remanebit ex eis unguis, Exod. 10. n. 26. Cur nec parva reliquia e Populo vult Moyses, quod remaneat in Aegypto? Praecepit Dominus, ut Populus discedens ex terra illa omnia sua secum asportaret ut observat Benedictus Pereira; & ita studiosus est Moyses in adimplendis divinis mandatis usque ad amissum; ut ne in parva unguis velit praeterire, ac inobservata relinquere. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de Adoratione, Oportet, ait, ut qui in veram se libertatem asserere velint, studeant a malis abscedere, & semitam ingredi, quae ad virtutes ducit, nullasque omnino, aut animae, aut mentis reliquias dimovere, per quas iterum sub Diaboli dominatum redigamur. Qui semitam Evangelicam ingreditur, ut reliquias peccati, ac transgressionis debet in se admittere, sed omnia excludere, ut in perfecta norma vivat.

Peteira. Nec minimum in lege praeterendum. Cyril. Alex. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum: qui autem fecerit; & docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.

Matth. 6. n. 19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum: qui autem fecerit; & docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.

VERSIONES.

Syriacus. Quisquis igitur solverit unum ex mandatis hisce minimis, & ita docuerit homines. Arias. Solverit unum mandato-

rum istorum minimorum.

Chrysofom. hom. 16. Quicumque solverit.

EXPOSITIO.

OSTQUAM Dominus explicavit, quanto ipse ad legem implendam feratur studio; modò exhortatur alios ad illius observationem suo superius praescripto exemplo quod nil legis absque implentione relinquet. Et ait: Qui solverit; seu quicumque. Ad omnes aequaliter ponit suas leges. De mandatis istis minimis. D. Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte, hoc refert ad mandata legis veteris, quandiu illa vim habuit. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, quae ego non veni solvere, sed adimplere. D. Chrysofomus homil. 16. Theophyl. docent, loqui Christum Dominum de mandatis legis novae, cujus aliqua ipse statim à sequenti versu, Nisi abundaveris iustitia vestra, &c. erat traditus. Et haec sententia inde est probabilior, quia lex vetus post breve tempus in Christi morte erat abroganda, & suam legem novam Dominus praecipiebat promulgare. Sunt etiam aliqui recentiores, qui hoc ita restringunt, ut de praecipis Decalogi tantum intelligant; sed communior & verior est sententia Chrysofomi.

De mandatis istis minimis. Intelligit ea mandata, quae in lege videntur minima, ut sunt venialia, ut vult Caietanus. Vel etiam, & probabilis, ut docent Maldonatus, Cornelius à Lapide, quae obligant ad mortale: non quia in se sunt minima, sed quia in opinione Pharisaeorum ita reputabantur. Et ideo haec sententia est probabilior, quia Christus ab hoc loco, ut videbitur cap. sequenti, refutat falsam doctrinam Pharisaeorum, qui dicebant, quod actiones externae adterrandi, occidendi, essent peccata mortalia; interna tamen desideria, & concupiscentias censabant esse quid minimum & vix ullum peccatum: Christus autem docet, mortalia, ob illaque hominem damnandum, quamvis, ex obligantibus ad mortale, sit minimum.

Et docuerit sic homines. Preme illud verbum sic, seu, ut habet Syriacus, ita. D. Hieronymus, sic, Hieron. hoc est, ut ego facio, ac si dicat: Qui solverit unum de mandatis istis minimis, damnabitur, etiam si exhortetur, & doceat alios ad recte observandum, sicut & ego facio. Tamen multò accommodatius ad litteram D. Augustinus, Chrysofomus, S. Thomas, hoc modo explanant, qui docuerit, sic, ut solvit; seu qui docuerit, secundum, id quod solvit, minimus erit.

Minimus vocabitur. Ita aliqui explicant, qui commissio peccato veniali legis mandatum violaverit, in regno caelorum erit, sed in minimo loco. Tamen Chryf. & Theoph. per minimum, nullum interpretantur, id est, nullus erit in regno caelorum; nam in regno caelorum omnes sunt magni utpote Reges, filij Dei, & coheredes Christi; qui autem solverit, nullus erit, nullus reputabitur. Et magna emphasi Dominus non dixit nullus erit, sed minimus erit. Quia si vos, o Pharisaei, gravia legis mandata, ut non concupiscere mulierem,

mulierem, non habere propositum occidendi, dicitis mandata levia, & ferè nullam obligationem inducentia, ideo vos etiam pariter coram iudice censebimini minores, minimi, ac nulli. In regno caelorum, August. de Gregor. lib. 19. Moral. cap. 5. Ecclesiam interpretatur, Chrysofom. Theophylactus intelligunt regnum caelorum, Resurrectionis, & ultimi iudicij tempus in quo à Iudice minimi & ultimi declarabuntur. Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus. Non fat est solum docere, sed necesse est prius facere. Quo circa, ait Divus Paulinus lib. 2. Epistol. 23. sermone, & vix rutilare, opus est. Magnus erit in Ecclesia Praeful, & doctor, magnus etiam in resurrectione mortuorum, ac in regno caelorum, ubi omnes magni sunt, ut notat Hugo.

QUESTIO XXVII. Si ille, qui solvit minima mandata, dicitur minimus, qui solverit majora, quorodo appellabitur?

190. In praesenti textu ait Dominus suis: Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur. Si ergo solverit unum de mandatis majoribus, qualem dicetur; nec enim est minor minimo? Respondet Albertus Mag. quod dicitur minimus, quia ex solutione unius minimi mandati, tota virtus gratiae labefactatur. Jam enim tendit homo ad ruinam, Eccles. 19. numero 1. Qui spernit modica, paulatim decidet. Ac proinde qui solvit magna, & minima mandata, non habet aequalem in sua gravitate transgressionem, sed ex levisiori disponitur, & prolabitur in aliam graviolem, & jam ad praecipitium, ac ruinam tendit. Vide superiorem questionem.

Secundò dicendum cum Eusebio Emiseno Abulensi, ut dicam quaestione seq. quod Dominus hic loquitur de eo, qui solvit majora, & minora mandata. Ac si dicat: Non solum, qui solverit majora praeccepta, sed etiam qui solverit minora, erit minimus, hoc est, inter damnatos computabitur, quamvis unus alio juxta qualitatem delicti ad graviolem penam sit deputatus à Iudice, Apocal. 19. num. 7. Quantum glorificaverit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.

Tertio. Qui solvit mandatum minimum explicatur, quod minimus vocabitur. At qui transgreditur aliquod mandatum magnum, ita grave delictum & flagitium perpetratur, ut quodammodo, nostro dicendi modo; nulla sint verba, quibus tantum malum valeat enucleari, nullusque modus videatur sufficiens. Et ideo qualiter ipse sit vocandus, non declaratur, sed considerationi, ac ponderationi uniuscujusque remittitur. Ex victimis sacrificantium, vi ac violentia tollebat sibi filij Heli, de quibus dicitur in textu. Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retraherant homines a sacrificio Domini, 1. Reg. 2. num. 17. Peccant filij Israel derelinquentes Dominum, & turpissimum Idolatriae scelus perpetrantes; & ut hoc nobis Scripator Canonice enarret, ait: Fecerunt filij Israel malum coram Domino, Judic. 2. num. 11. & 3. n. 7. & 4. num. 1. & saepe. Et de ipso Idolatriae de Sylveira in Evang. Tom. 11.

licto inquit Caietanus citato cap. 2. Peccaverunt peccato maximo, colendo Deos alienos. Et Carthusianus ad cap. 4. ait: Ponitur hic malum pro malorum, scilicet culpam, congerie, Et Abulensis ibidem, quaest. 1. Ponitur hic, malum scilicet colere idola, quia cetera mala, quasi venialia Deus reputabat in iis Judaeis, si in hoc non peccarent. Si ego Idolatriae crimen tam grave, ac abominabile est, cur aliquot ponderosis, ac plenis verbis non exaggeratur, & sicut de peccato filiorum Heli dicitur, Erat grande nimis, cur non ita dicitur de execrabilissimo Idolatriae scelere; sed ait textus: Fecerunt malum; Aded turpissimum est, & detestabile Idolatriae flagitium, ut ad tantum scelus exprimendum pauca videantur omnia verba; ac proinde facer textus contentus est dicere, Fecerunt malum; sub quo omnia malorum intelligit genera.

Quae enim maxima sunt, saepe verbis non explicantur, sed silentio involvuntur. Cum post egressum à Jerusalem Magi vident stellam, quae apparuerat eis in Oriente, descuntur, Gavisus sunt gaudio magno valde, Matth. 2. num. 10. Et tamen, cum intrant domum, & Christum natum vident multo majori sunt gaudio perfusi: facer non possunt. tamen Evangelista, qualis haec nimis perjuranditas fuerit, non scribit: nam ad tantum gaudium exprimendum, ut nostro utar dicendi modo, nulla videbantur sufficere verba, ac proinde silentio fuit involvendum, nostraeque hoc considerationi committendum.

QUESTIO XXVIII.

Quare Christus appellet praeccepta minima?

DUM mandatum legis etiam minimum solvitur, peccatum committitur, per quod fit offensa, & injuria Deo, & dicitur in expositione quod per mandata minima intelligit Dominus ea, quae obligant ad mortale: atqui, quilibet offensa, & injuria Dei est gravissimum malum: deinde haec mandata, à Domino tradenda, erant valde magna, & sublimia, inquit Chrysofomus statim citandus, quomodo ergo haec mandata dicuntur minima?

Respondeo primò, quod appellat minima mandata ea, quae in Pharisaeorum opinione reputabantur minima: nam ipsi falsò dicebant, interna desideria occidendi, adulterandi, aut vix, aut nullum esse peccatum, ut dixi in expositione, & latius explicabo cap. seq. Christus hanc errorem ab hoc loco incipit refutare, & docet, quod qui illa solverit, erit minimus, atque damnandus; Et in hac sententia est Imperfectus homil. in principio. Praeccepta, ait, Christi, quae apud Scribas, & Pharisaeos minima existimabantur. Secundò Caietanus, minima asserit dici, quia sunt, quae obligant ad veniale. Tertio Hugo, quae apud homines reputantur contemptibilia. Quarto, D. Thomas intelligit aliqua praeccepta moralia, & legalia legis, quae in significatione, & representatione minus erant. Quintò, D. Chrysofomus homil. 16. ait: Dominus tam magna, ac sublimia mandata vocat minima, quia conditurus erat ipse legem; & sicut